

DXXVII. *Aequum* est pretium, quod in actibus permutatoriis communi consensu pacifcentium introductum, secus est *iniquum*, veluti si per errorem, aut dolum fiat. \* Illud vero pretium naturaliter esset *iniustum*, si laborare volenti deficerent res necessariae; quare pretium rerum necessarium ita determinandum est, ut eadem vilis operae pretio comparari possint. Et ob eandem causam, si solum spectemus usum, res necessariae minus valere debent, quam utiles, et haec minus, quam voluptuariae.

## C A P V T, XIX.

### *De variis permutationum formis.*

DXXVIII. Innumeri sunt modi, quibus res, operas vel iura nostra cum rebus, operis, iuribusve alterius permutamus; quidam tamen, utpote frequentiores, speciali nomine designantur.

DXXIX. Commutari autem possunt vel 1) pretium vulgare rei unius cum pretio vulgari alterius, hoc est, dari res pro re, et fit *Permutatio* in specie, vel 2) pretium eminens, seu certa pecuniae quantitas cum re, estque *Emtio Venditio*, vel 3) pecunia determinata cum usu rei non fungibilis, aut cum opera, et est *Locatio Conductio*, vel 4) res quaevis aut opera cum usu rei fungibilis, et fit *Foenus*, seu *Contractus foenebris*, vel 5) pecunia cum pecunia, et *Cambium* dicitur.

DXXX. Porro permutatur 6) dominium utile rei alicuius cum obligatione praestandi  $\alpha$  aut canonem annuum et est *Emphyteusis*  $\beta$  aut fidelitatem, hoc est, curam et diligentiam, ne aliquid in alterius praedictum fiat, et nascitur *Ferdum*; denique si 7) res vel operae in commune lucrum conferuntur, *Societas* fit; reliqui sunt innominati.

DXXXI.

\* V. Cier. Ver. IV. 7. Ieneca de Benef. V. c. 15.

**DXXXI.** Permutantes nihil in alterum gratis transferre, sed tandundem ab eo recipere, adeoque feruari *aequalitatem* volunt. Quia tamen in statu naturali rerum pretia a cuiusvis pendunt arbitrio, nec quisquam tenetur in aestimanda re sua stare iudicio aliorum, aequales sunt res, quae a contrahentibus tales esse censentur. Si enim ius habent rei, quam alienant, parem tribuendi valorem illi, quae vicissim adquirent; dummodo nihil de his, quem ipsam rem contingunt, dolo vel errore reticeatur. Est enim officium permutantium rei vitia manifestare, et si quaedam latuissent, vi conditionis naturalis inaequalitatem tollere.

**DXXXII.** Quoniam *permutatio* in specie contractus est onerosus, quo pretium vulgare pro vulgari praeslatur, ad rei nostrae translationem vero in alterum faciendam traditione semper opus non est: patet 1) permutationem contractum esse omnium antiquissimum, 2) eamque etiam nudo consensu celebrari posse.

**DXXXIII.** Contractus, quo res promittitur pro certa pecunia, est *emptio venditio*, ergo 1) ad eius substantiam requiritur *consensus merx, et pretium emens*. 2) Emtor obligetur statim pecuniam dare, et venditor dare mercem, nisi aliud conventum, et vnus alterius fidem sequatur. 3) Re in specie vendita, emtor ius in re acquirit ante traditionem, venditor vero debitor est certae speciei, adeoque si res casu pereat, perit ipsi emtori; quod si eam venditor iterum alienaret, secunda alienatio esset irrita. 4) Contra pecunia in genere debetur, nec eius dominus ante fit venditor, quam tradita sit; ei igitur non perit.

**DXXXIV.** Aliquando res aliena venditur; quod si fiat, nisi etiam emtor rem alienam esse sciuerit, *naturale* est emtioni, vt venditor debeat *Evictionem* praestare; hoc est, satisfacere emtori ob rem a domino *evictam*: siue iure vindicatam.

**DXXXV.**

DXXXV. Ad *accidental*ia emtionis pertinent pacta, quae passim addi solent, veluti pactum de *retrouendendo*; pactum, seu *lex commissoria*, vt si emtor non soluat pretium intra certum tempus, res sit inempta; pactum *additionis in diem*, vt si quis intra certum diem meliorem conditionem non obtulerit, res sit emta, aut si obtulerit, inempta. De quibus porro omnibus illud valet: *vti lingua nuncuparunt paciscentes, ita ius esse.*

DXXXVI. *Locatio conductio* est contractus de rei non fungibilis vsu, vel operis pro certa pecuniae quantitate, siue *mercede*, praestandis. Qui vsum rei vel operam promittit, *locator*, qui promittit pecuniam, seu mercedem, est *conductor*. In specie conductor agri *colonus*, aedium *inquilinus* nominatur.

DXXXVII. 1) Itaque incumbit locatori, rei vsum, vel operam praestare per tempus definitum, nec ei licet citius expellere conductorem ob propriam indigentiam. 2) Conductor tenetur re ita vti, vt non abutatur, tribuere mercedem non obstante sterilitate, rem non deferere sine iustis causis; potest tamen vsum suum alteri concedere, *sublocare*.

DXXXVIII. 3) Si locator rem locatam vendat, non plus iuris in emtorem transfert, quam ipse habuit, igitur emtor conductorem non potest ante tempus excludere. 4) Quando finito locationis tempore conductor continuat re vti, silente locatore, fit tacite noua locatio, seu *relocatio*. 5) Si deponens pro opera, vel commodatarius pro vsu rei pecuniam promittant, tam depositum, quam commodatum in locationem abeunt.

DXXXIX. Quemadmodum gratuita concessio vsus rei non fungibilis commodatum est, hoc vero in locationem transit, si quis pretium sibi pro vsu stipuletur; ita mutuuum, quod sit vsu rei fungibilis gratis concessio, conuertitur in *foenus*, seu *contractum foenerem*.

*breui*, si aliqua vfura promittatur. Est autem *vfura* latius, quidquid pro vfū rei alicuius foluitur. \*

DXL. Acerrime femper difpatatum fuit de moralitate contractus foenebris. Nos illum legi naturali indiftinctim repugnare non putamus. Nam 1) vfus pecuniae magnam adferre poteft vtilitatem, igitur non minus fuum habet pretium, quam vfus rei non fungibilis. 2) Rei meae vfum gratis alteri dare perfecte non obligor; vt ergo in id confentiam, poffum mihi quid ab altero ftipulari. 3) Ob lucrum ceffans, vel damnum emergens accipi quascunque vfuras poffe omnes fatentur; nil ergo vetat, quin illa incerta praefatio certa quadam promiffione redimatur.

DXLI. Praeterea 4) valet contractus societatis, vt res et opera in *commune lucrum* conferatur; cur ergo non valeat pactum foenebre, vi cuius alter rem confert, alter operam? ita tamen, vt, qui rem communitat, lucrō maiori incerto renuntiet, vt fiat *securus Sortis*, hoc eft, rei ad vfum concessae, et modici lucri. 5) Deus ipfemet permittit Hebraeis, vt *extraneis foenerarentur*. \*\* Quod autem lege naturae abfolute vetitum eft, id a Deo per reuelationem permiffum non eft.

DXLII. Nec dicant aduerfarii I. pecuniam effe sterilem, et nullos fructus ferre, II. debitorem effe dominum, illi ergo foli prodeffe lucrum debere. Praetquam enim quod pecunia fructus ciuiles fert vberimos, et domus sterilis eft, et bibliotheca; locari tamen vfus vtriusque poteft. Dein dominum adquiuit debitor a foeneratore, quae concessio fuam habet aestimationem.

DXLIII. Neque vrgeas III. damnari vfuras in veteri et nouo Testamento, \*\*\* a fanctis Patribus, et Pon-

\*-Ideo Plantus: Nam si mutuas non potero, certum est, summa fenore. *Afin. I. Sc. III. fin.*

\*\* Dentor. *XXIII. v. 19. seq.*

\*\*\* *Exod, XXII. 25. Leuit. XXV. 36.*

Pontificum decretis; siquidem pertinet haec prohibitio cum ad leges positivas, tum etiam ad vsuras mordentes, vel folius mutui titulo acceptas. Ut enim sint naturaliter licitae vsurae, debent vsui pecuniae, et lucri, quod debitor commode facere potest, attemperari. Dein vsurae et tunc caritati repugnant, quando a pauperibus et iis petuntur, quibus subuenire gratis officium erat nostrum imperfectum.

DXLIV. Quomodo *Cambium*, seu *Collybus* sit permutatio pecuniae cum pecunia; haec permutatio vel fit in variis speciebus monetae, et in eodem loco, vel in loco diverso. Illud *cambium* est *manuale*, hoc *cambium* *trassatum*.

DXLV. Ad posterius concurrunt quatuor personae. I. Qui remittit, *Cumpsarius*. II. Per quem remittitur, *Campsor*, seu *Trassans*. III. Remissam qui soluit, *Acceptans*, seu *Trassatus*. IV. Cui soluitur, *Praesentans* vocantur. Horum officia ex principis permutationis, et praecipue contractus foenebris deduci et ad innumeras circumstantias aptari debent.

DXLVI. Contractus, quo dominium utile praedii pro certa pensione annua in recognitionem domini directi praestanda conceditur, est *emphyteusis*. Igitur dominus emphyteusos directus rem emphyteuticam tradere, emphyteuda vero praedium meliorare et canonem annum soluere obligantur.

DXLVII. Et quia canon ex fructibus non accipit mensuram potest enim esse in re minima, ab eo nec sterilitas, nec interitus partis praedii excusat. Ceterum per naturam determinatum non est, sed ex conventionis formula determinari debet, an statim canone semel non soluto, vel fundo vendito sine consensu domini directi, dominium utile exspiret?

DXLVIII. Quoniam concessio domini utilis sub lege fidelitatis feudum dicitur, seu *contractus feudalis*, facile patet, feudi essentialia esse *rem feudalem*, tum

da-

*dominium directum* concedentis, seu domini directi, dein *dominium utile* accipientis, seu *vasalli*, et denique *fidelitatem* mutuam: cetera omnia pactis et legibus positivis determinantur, et in peculiari traduntur disciplina.

DXLIX. Superest *Societas negotiatoria*, quae quum sit conventio duorum, vel plurium de re, vel opera in commune lucrum communicanda, prono fluunt alieo hae positiones. 1) Qui nihil confert, aut nullum ex re collata sperat lucrum, socius non est. 2) Si societas sit *uniuersalis*, id est, omnium bonorum, naturale est, vt non modo lucrum et damnum, sed etiam *Sors*, hoc est, *pecunia collata* sit communis, et portiones sociorum fiant arithmetice aequales licet vnus minus contulerit et ex iusta causa altero plus expendat.

DL. 3) Si vero societas est *generalis*, nimirum eorum, quae opera, et negotiatione acquiruntur, aut *particularis* in rebus, vel operis singularibus, exigit natura contractus, vt lucrum et damnum pro rata geometricè diuidatur, sors autem sua cuique sit salua. 4) Vt reliqui contractus, ita etiam societas tempore conuento durare debet, nec vni ab ea recedere licebit altero inuito, si modo et hic leges contractus obseruet.

DLI. *Alea* est incertus euentus, qui nobis lucrum et damnum adferre queat. Itaque 1) si vni contrahentium de euentu certo constet in contractu, alea amplius non est. 2) Quoniam quilibet de re sua potest disponere, immo illa in foro externo abuti, dubium non est, quin valeant *contractus aleatorii* de re in se honesta celebrati, veluti de iactu renis pro certo pretio tradendo.

DLII. Sunt autem et hi *Contractus* vel *benefici*, vel *onerosi*, et in posterioribus tum seruatur aequalitas, si inter metam damni, et spem lucri proportio habeatur, et porro contrahentes ab omni dolo et fraude abstineant.

DLIII.

DLIII. Huc spectant praecipue *Emtio spei, Lotaria. Olla fortunae, Contractus assicuracionis, Bode-meria, decifio per sortem, siue electricem, siue attributricem, siue diuisoriam, Censu vitalitius, et tandem Contractus lusorii, qui tum demum se recte habent, si et lucrandi cupiditatem et nimiam rerum et temporis profusionem fugiamus. Cic. Off. I. 29.*

## CAPVT XX.

*De iureiurando, aliisque modis, quibus  
pacta confirmantur.*

DLIV. Signa aut sermones, quibus veracitatem et sinceritatem nostram confirmamus, sunt *Adseuerationes, seu Contestationes.* Illa autem *Contestatio, qua ad vindictam diuinam sub conditione falsiloquii moralis prouocamus, iurisiurandum* dicitur, et quidem *promissorium*, si quis promissionem a se factam firmer, *secus adsertorium.* Igitur insanus, demens, non iurant, nec qui tamen legens iuramenti formulam, non praefert animum iurandi. *Ouid. Heroid. XXI. v. 135.*

DLV. Finis iuramenti ex parte eius, qui iurat, est, vt verbis conciliet maiorem fidem. Qui enim Deum esse agnoscit ens omniscium, omnipotens, et iustissimum, non praesumitur esse tam malus, vt fidem fallere, ac diuinae misericordiae renuntiare velit. Alter finis est ex parte illius, cui iuratur, vt de veracitate et sinceritate iurantis certior et securior fiat. *Cic. Off. 31.*

DLVI. Quum nihil inconsulto, nihil temere agere liceat, multoque adeo minus alterum fallere religionis obtentu, aut diuino nomine abuti, perspicuum est, cur *iudicium, iustitia et veritas* quasi tres iurisiurandi comites statuantur, \* qui si adsint, iurans Dei manifestat attributa, eiusque adeo gloriam illustrat. Non  
igi-

\* *Ierem. IV. 2.*